



Iodocus à pueris operam literis dedit, et primitus
fundamentis feliciter perceptis sese ad Erdfor-
diensem Academiam contulit. In ea magna diligē-
tia philosophiæ & Theologiæ incubuit, & eam si-
bi eruditio nem comparauit, ut uiris doctissimis
suo tempore adnumeraretur. Itaque in eo gymna-
sio publicus Professor constitutus, summa laude
docuit, et aliquoties Rectoris officio functus fuit.
Hunc Iodocū Erasmus Roterodamus plurimum
dilexit, atque multoties conuenientes de rebus lite-
rarijs cum eo contulit. Quin etiam Iodocus Luthe-
ro familiaris extitit, atque cum ille anno 1521 Vuorma-
tiæ coram Cæsare fidei ratione redderet, ei adfuit,
& frequenter quid fieri oporteret, admonuit. Ita factum ut Iodocus Erdfor-
diensem Academiam sua industria exornarit, & cunctis ob multas animi uir-
tutes gratissimus fuerit. Eras. lib. 15. & 17. Epist.